

Handwritten text on the right edge of the page, including numbers and letters, partially visible.



Disputationes quae huc Volumine
includuntur.

1. De Juribus Clericorum., Pr. J. H. Voelcker, & J. M. Schultze.
2. de Jure nocendi alius, Pr. H. Coccejus, & J. W. Eopen.
3. de bonis ereptitiis, Pr. N. C. Lynker, & L. V.
4. de pactis conjugum specialibus, pure ^{theberlinus} probatis, Pr. D. F. Golepius, & J. C. Meyer.
5. Observaciones circa jura elemosynarum et aliam collectarum Ecclesiarum dicarum templorum et beularum Pentecostalium etc. Pr. C. H. Hornius, & C. Hanack.
6. de emptione conditione solum consensu non Subsistente, Pr. H. de Boden, & C. F. Hermannus.
7. de his, quae propositere fiunt, Pr. H. Coccejus, & J. L. Thiele.
8. de Mora, Pr. H. Coccejus, & J. H. Wejsel.
9. de Concursu plurium Jurisdictionum, in eodem loco, Pr. H. Coccejus, & C. G. Durel.
10. de distinctione Bonorum., Pr. H. Coccejus, & J. V.
11. de Nom careria postea hunc et lite vnicarum, Pr. A. Deckeris à Thienen, & H. Coccejus.
12. de Jure alluvionum in Imperio, Pr. H. Coccejus, & C. G. Durel.
13. de Jure accretendi inter verbis conjugum, Pr. H. Coccejus, & J. E. van Gelder.
14. de Contractu Medici cum aegroto, Pr. J. Schultz, & M. D. Laurent.
15. de Testamentis conjugum reciprocis, Pr. S. F. Willenberg, & J. G. Schmechky.



16. Actiones injuriam sacerdotum concernentes *H. Albrecht Fugger*
Proccaten gegen Prediger, P. J. G. Simon, L. J. G.
17. de Jure precum publicarum, von öffentlichen Kirchengeldern.
Galchenreich, P. H. Wilhelmus, L. J. H. Bomer, L. F. a
Sallern.
18. Capita quaedam juris Ecclesiastici controversa circa
modestiones, Praecliarorum, et Judicialium, P. C. H. Horn,
19. Partes Juridicae usum Theorico-Practicam distin-
guendo rerum in mobiles et immobiles concernent,
Gr. J. G. Harten, L. C. Drayn,
20. de Praeclia equestri, *J. Reit Krunde, P. F. G. Struv.*
21. de vario juris usu et abusu in Curis et Cancellarijs,
von Gebrauch und Misbrauch der Lehen in Cantz
leyen und Rathhäusern, L. M. Holtermann's.
22. de Appellatione per saltum, *P. C. Wildvogel,*
23. de Jure incerto ex dubia leyum, quibus utimur,
aut veritate oriundo, P. M. H. Gribnerus, L. A.
24. de Leynis sub lege comisoria *Galchenreich, Gr. J. Weber.*
25. Specimen parocemiarum Historicarum, *L. F. Thom,*
H. J. Weber.
26. de Fictionibus boni hominis quam juris, *L. E. C. Stoldi,*
Gr. P. Müller
27. de his, quae circa praescriptionem moranturiam sal-
tem traduntur, P. J. H. Berger, L. C. G. Pohle,
28. de Oppignorationibus rerum imperij, *P. J. Strauchius,*
L. A. Hamberger.
29. Jus ad Regimen Charitatis Christianae in causis ac
negotijs Civilibus, A. Fritschius.
30. de Beneficij, sive hominidij, per venenum attentate
in Casu ubi mors non ipsis secuta poena capitali,
Gr. Th. Wagner, L. C. G. Gottmann
- + vide solvium post Volumus

21.
10.
ARNOLDI MAURITII
HOLTERMANNI,

I. V. D. CONSILIARII HASSIACI ET PAND. P. P. ORD.

DE

VARIO JURIS VSV
ET ABVSV IN CVRIIS
ET CANCELLARIIS,

Vom

Gebrauch und Mißbrauch
der Rechten in Canzleien
und Rathhäusern.



EDITIO ALTERA.

JENÆ,
Impensis JOH. PHILIPPI HAASIL.
M DCC XV.

10
ARNOLDI MAURITII

HOT. TRAMANNI.

I. V. D. CONSILII HASSIACI ET PAND. P. ORD.

DE
VARIO JVRIS VSV

ET ABVSV IN CVRIS

ET CANCELLARIIS.

Edictum in Consilio
Hassiaci et Pand. P. Ord.

de Vario Juri in Curis
et Cancellariis.

et Abusu in Curis
et Cancellariis.



EDITIO ALTERA.

LENAE
Impensis JOH. THEOPH. HASSII
MDCCLXXI.



De
**VARIO JURIS USU
 ET ABUSU.**

THES. I.

Non communio *Platonica* sed *Justitia* est præstantissimum litium, processuum & controversiarum remedium: hæc ergo vigere debet in foro, Curia, Cancellaria aut alio quocunque Prætorio: quæ omnia si recte atque ordine constituta, per fugium præbent & asylum non tantum vi & armis oppressis sed & injuria affectis, aut qui ob inopiam à potentioribus jus suum consequi non possunt: ob hanc causam jura inventa & Judicia constituta, ne tenuiores & inferiores potentioribus semper sint obnoxii: nè à præsidio juris pauperes arceantur: quare si hi ob suam inopiam, ambitum vel adversarii potentiam Advocatum & Patronum non inveniebant, Prætor iis aliquid ex officio dabat: quo exemplo hodie multis in locis inopum causis certo & publico stipendio est destinatus Patronus. Forum ergo & Curia Juris & Justitiæ fuit promptuarium olim, prudentiæ Juridicæ quasi apertum supplicii innocentia atque simplicitati sacrarium. Hodie multis in locis hominum ambitione & temporum conversione factum hoc est proli dolor! Juris & Justitiæ conditorium: cuius

aditus angustior factus quam ut desitura simplicitas facile eo penetrare possit: qui intrant ad primos actus litium hilares ingrediuntur, quasi *Beneventum* venerint, aut in litium catastrophis quasi *Malevento* tristes & vultuosi domum predeunt, etsi victores; quia controversiarum alimentis, multum fortis decoctum, care enim in foro emitur litigandi experimentum, in quo tanquam in nudinis, non tantum *JUS* sed & saepe *injuria* est tibi redimenda, si jus tuum servare cupis: Lis liti hic agnascitur. Pragmaticis praesertim malis jucundum saltare orchestra contentions & discordia, imo in litium mandris consensescere: nec his tantum, sed homines etiam litium fugitantes, lites abrumpere etsi velint, non tamen pro lubitu possunt, sed versuram quasi facere coguntur, altius statim luto negotiorum haerentes: signum quod hodie Judiciorum aditus non sint obsepti, sed exitus: quod verum esse, clarè apparet si res alicui sit cum assiduo quasi fori alumno & Appianæ pervicaciae Litigatore, qui, nisi prorsus in suas leges, conditiones nec ferre nec accipere destinavit: hic intra orbem litium quasi conclusus, quomodo quæso sine jactura facultatum, sine suggillatione queat erumpere? Causa tot litium unde, nisi à perfidia & calumnia? unde immortalitas, nisi à fraudibus & tergiversationibus? Sententiarum inconstantia, nisi ab iniquitate, imposturâ, juris perturbatione, & impertitia. Ob sumptuum immensoform necessitatem, tenuiores à jure suo arcantur, ut tolerabilior sit *injuria* quam *judicium*: ut opprimi saepe sit satius quam vindicari: Hodie ergo cum *Seneca lib. 2. d. Tranq.* forum & Curiam loca possumus dicere, *exercendis in publico vitiis destinata.*

Th. II.

Litigare per se non est malum, nec Christiano simpliciter prohibitum, non tamen omnibus expedit tam propter honesta-

honestatem quam pacem : quis sine peccato iudicio potest exire ? annon ubi lites, etiam sunt discordiæ, odia, injuriæ, sæpè cœdes ? Quot sunt litigantium incommoda ? Quot causæ pereunt Juris inopia ? quot Pragmaticorum culpa & perfidia ? Quot suo quodam occidunt fato, vi infamiæ aut à pecunia male valentes ? *Lites perduntur, quæ paupertate reguntur.* Et confidentia & diffidentia nimia hic periculosa est : hæc vexat, illa fallit : sæpe præstat semel vinci, quam sæpius vincere, potest enim victoria esse Cadmæa. Et ô quam multos pœnitet victoriæ forensis ! Victoriæ trium processuum in Cancellaria vel Curia sæpe divitem facit divertere ad miserabile Hospitalis remedium. Si hoc fit triumphanti, quid fiet succumbenti ? Noli ergo litigare, solve potius quod debes : præstat jactum litis facere quam naufragium census : seges enim litis seminis sæpe plus poscit quam redditura est messis. Dubia martis hic alea, multos perducit ad tabem litigatores, unde domus eorum collabuntur, ut & mures inde migrare teneantur. *Honor ergo est homini separare se à contentionibus : omnes stulti miscentur contumeliis, Prov. c. 10.* Honor est imo heroicæ virtutis opus, reconciliatio & amicitia : magnanimus est qui in pace poscenda alterum prævenit : annon Deus gratia sua prævenit peccatores, in Christo mundum sibi reconcilians. Væ redemptoribus litium : applicari possunt iis omnes plagæ Ægyptiorum in V. T.

Sanguis, Rana, Culex, Musca, moritur pecus, ulcus.

Grando, Locusta, Nox, Mors prius oria necans.

Qui ergo debet litigare litiget, sed in veritate, iudicio, & justitia : aut ei qui in iudicio vult tollere tunicam det ei & pallium suum. Jam ait Apostolus, *1. Cor. 6. delictum est in vobis quia iudicia habetis inter vos.* Lis nulla, toga rara, referunt Poetæ ad vitæ beatitudinem. Vix vir bonus præsumitur frequens li-

igator: Remedia ergo litium, quatenus possunt observari debent; *Patientia*; *Eccles. c. 28. abstine à lite & minues peccatum.* Jus jurandum, maximum litium expediendarum remedium: *pæna* plus petitionum & infamia damnatorum, in actionibus bonæ fidei: vocatio ad Syndicatum, privatio cinguli, restrictio licentiæ provocandi, tentatio concordiæ, cum macra sit melior concordia quam pinguis sententiæ. Utinam constituti essent in hanc rem publici arbitri! Cur non etiam judicarium vectigal posset instituire Princeps, ut duos aureos quilibet actor solvat Fisco, recipiendos si jure litigasset, relinquendos, si perperam.

Th. III.

Slitigandum est, coram Judice est litigandum, hic jus dicit populo, & Salvator ejus dicitur *Jud. c. 3. v. 9.* scilicet, secundarius: quod apud Romanos *Dictatorum*, hoc apud Judæos fuit fere officium *Judicum*: Debet esse Vir, bonus, publica auctoritate constitutus, juris dicendi & æquitatis statuendæ peritus. Princeps solus negotiis suis dijudicandis non sufficit, per alios ergo hoc faciet, sed viros potentes, timentes Deum, in quibus est veritas, qui oderint avaritiam. *Exod. 18.* Hi *Dii* vocantur, quia Dei judicium est. *Deut. 1. Exod. c. 12.* Deus cum *Adamo* primum Judicium exercuit & exercebit quoque ultimum: Deum ergo bonus Judex præ oculis habebit, *Sap. c. 6.* Deus quoque erit eorum propugnator & defensor, contra quoscunque etiam Dæmonum & sagarum insitum odium: quas si cum aliis publicorum criminum reis non puniant, criminum participes fiunt, & ipsi puniendi. *1. Reg. 15.* caute tamen & juxta præscriptum legum hic procedent, nè forte eradicent cum *Zizania* triticum: omnia enim scandala quomodo de mundo possunt tollere? Zelum inmoderatum quam non regit lex & ratio hic damno: capita hominum non

non sunt pila, quas leviter & temere jactare licet, aut ad levis-
 simum rumusculum torquere sine gravissimis indicis *arg. l. r.*
ff. d. quest. Theologos volo, & Jctos saepe & Academias con-
 sultat, non proprio confidat ingenio, quum aliquem conjicit
 in equuleum. O arduum & horrendum munus Judicis!

*Vos quibus Rector maris atque terra
 Jus dedit magnum necis atque vite
 Ponite inflatos tumidosque vultus;
 Quicquid à vobis minor extimescit,
 Major hoc vobis dominus minatur.*

Th. IV.

Judex ergo in judicio gravius errat, quam privatus: peccata
 illius & perperam judicata sparguntur in omnes, perinde ut
 gubernator, non vetò si aliquis nautarum erret, si delinquat,
 commune est infortunium omnibus navigantibus: Non se-
 quetur hic propriam opinionem & phantasiam, sed leges,
 probata & allegata. *illicitas. §. veritatis ff. d. off. Pras. l. f.*
C. d. pæn. Jud. qui mal. jud. ex credulitate sua neminem debet
 condemnare etsi sciat innocentem, cum sit persona hic pu-
 blica: & hæc una ex miseriis Judicium, sequi sententiam alic-
 nam. *Aug. lib. 19. d. civ. Dei. c. 16.* Sed periculum nullum,
 subest, si testes accuratè examinentur, aut ipse induat perso-
 nam testis, remisso reo ad superiorem Judicem, aut alio modo
 consulat innocenti sine scandalo vel per fugam. Nonnun-
 quam potest aliquem condemnare etsi nullus sit accusator vel
 actor, & fallit illud, *wo kein Kläger ist, da ist auch kein Rich-
 ter.* Cum crimen scilicet est notorium, aut contumacia præ-
 stat locum accusatoris, aut virtualis sit accusator, infamia pu-
 blica ad instituendam inquisitionem. In sententia tamen fe-
 renda

renda ne semper sit pedarius vel Judex ad idem: uti nec ad-
 fessores debent esse assentatores: discrepantes etiam in fe-
 rendis sententiis, non ideo odio habendi; nec spernenda
 sententia plurimorum concordans, nec in dubio disceden-
 dum à Judicio multorum, quanquam à singularibus opinio-
 nibus temperare sibi debeat Judex, & potius glossæ ordinariæ
 inhærere, ut *Bononienses Carocio* & ductor navis timoni. Sub-
 tilitas nimia absit à judiciis, inimica est sapientiæ & simplici-
 tati & in juris interpretatione, juris sæpe rationem & æquita-
 tem evertit, sunt Judices Legum interpretes non domini ut
 ad libidinem eas interpretentur & ita perfringant Justitiam,
 ipsam, quæ non ingenio hominum sed ex artis facultate æsti-
 manda: animi sæpe est ingenui, cum multis errare quam uno.
 Illi omnia desunt qui sibi nihil deesse putat: quisque ergo sua
 verecunde & modestè æstimabit, aliena callidè & magnifi-
 cè: modestia maxima, aliena pluris quam sua facere. *Tibe-
 rius* olim satis prudens, nihil ex sese, sed minima quæque ad
 Senatum retulit: in quo omnia bene sese habebant, quam diu
 aberat discordia, pervicacia & simultas inter collegas. Colle-
 gio concordi nil firmitus ad firmandam Rempublicam. Fa-
 teor, singulos dissentire fas est sed re integra, aut peractâ &
 perfecta, quod pluribus placuit tuendum. Allegationes Do-
 ctorum variorum Judices fatigat & cui bono sunt? non enim
 ex auctorum opinionibus pendet legum auctoritas, sed ex
 hac pendet Doctorum opinio. Utinam jus certum statue-
 retur! quod pragmaticorum astutiis, non fingeretur ac re-
 fingeretur ut cera: unicum licium minuendarum & evitan-
 darum remedium: hoc Judicium efficeret sententias certas,
 litem finientes, non litem ex lite generantes.

Th. V.



IN omni recte constituto iudicio, quilibet Judex, Magistratus, Senator, ab omni affectu liberum retinebit animum: in gratiam alleuius contra conscientiam nunquam iudicet: non sequatur *Themistoclem* adhuc puerum iactantem inter suos, *se Athenas totamque Græciam regere*: mirantibus cunctis respondet hoc; *Se suam habere matrem in potestate, matrem imperare Patri, Patrem verò Athenis consilia regere publica: Athenienses verò totius Græciæ Principes esse*: non sequatur *Darium* conicientem *Daniclem* in leonis foveam: non *Zedechiam* condemnantem *Jeremiam*, non etiam *Pilatum*: legis minister, imo lex sit viva, attendens non personarum sed causæ merita: non excandescat aduersus malos, non moveatur precibus amicorum. *l. obseruandum. S. C. d. offic. Præs. Nov. 17. c. 2.* Prohdolor! Necessarii, consanguinei, parentes, conjuges, fratres, affines, compares, in expugnandis ludicum animis sæpe vim magnam habent: habent & alii affectus, coguntque sæpe iudices scientes volentes à recto tramite discedere, iusti ac iniusti rationem habere: occultum ut esset *Davidis* adulterium, sub specie prælii occidit *Uriam*: ut vineam sub jurisprætextu occuparet *Nabothan* interfecit *Jesabel*. Non hoc officium boni & incorrupti Iudicis. Sol omnibus est communis, non alius pauperi quam diviti: ita erit & Judex, uno oculo rem tantum spectabit, personis alterum claudet. Oculus fuit olim Iustitiæ symbolum: ubi errat oculus ibi aberrat affectus. Poëta iudices velatis pingunt oculis, nè in iudicio suspiciat personam ullam sed æquè audiat paruum atque magnum, divitem ac pauperem: & si suum unicuique debet tribuere, æqualiter ei incogniti debent esse, parens, filius, seruus, advena, dominus, amicus, inimicus, potens, impotens, soldalis, peregrinus, incola: sola cognita veritas: audi ó Judex per

Deum hic ipsum praescribentem hoc Deum, cujus tu vices
 geris & cujus est iudicium. *Prov. 24. Deut. 1. v. 16. 17. Ioan. 24.
 Rom. 10. 12.* Iustitia non novit patrem, non fratrem, solam ve-
 ritatem novit: exiit personam iudicis, quisquis amicum in-
 duit: aequitas sinistram odii & amoris dextram ignorat: qua-
 re causa pauperum non longius extrahenda, & causa divi-
 tum citius expedienda: par debet esse utriusque ratio, nec
 vel longior ad probandum terminus vel informandum uni
 quam alteri est concedendus gratificandi studio: cur ergo
 saepe in pauperum causis ostenditur rigor, in divitum dispen-
 satio: cur illae negligenter audiuntur, haec subtiliter. Audiatur
Jacobum Apostolum. *c. 2. v. 1.* cur in Curia & Cancellariis,
 nihilquam iustitiam frangit, quam malorum affectuum ingens
 varietas. *Kanutus* dum latrocinantes ultimo curaret supplicio
 affici, quidam exclamat e medio damnatorum, *atque ego sum,
 Principis Kanuti cognatus, jure etiam sanguinis ei devinctus.*
 quo Rex audito, respondit: *Cognato nostro ut honoratior sit lo-
 cus, sublimiorem parate crucem.* *Iohannes Baptista* Regis *Hero-
 dis* personam non respexit. *Marci 6. v. 17.* Cognati, amici,
 honorandi, sed usque ad aras iustitiae,

Eyner Nuz / befreundter Rath /

Hat verderbt Troja / die grosse Stadt.

Casus pro amico, est casus pro Diabolo. O quam multae sunt
 hodie Curiae elinguae, in quibus dicere quod velis periculosum,
 quod nolis miserum est, in quibus exulat amor veritatis & li-
 bertas, occupatur assentatio, adulatio & dissimulatio, exulat
 constantia: utinam exularet quoque privatum commodum,
 quod publico semper decebat cedere. Utinam non
 vitaretur iudicia insufficientia regentium & incapacitas ex de-
 fectu eruditionis, & virtutum ad iudicandum & consulendum
 necessarium.

Th. VI.

Praterea Iudices in determinandis causis sicuti vitare volumus *præcipitantiã & tarditatem* nimiam, ita *ordinem*, sequi debent *judicialẽ*. Hic adinventus est non tantum ad iudicii solemnitatem, sed etiam ad iustitiã naturalis conservacionem. Cognitio causæ sententiam debet præcedere, aut hæc erit ipso iure nulla. Deo nihil est absconditum, in iudicando tamen *Adamo*, ut Iudicibus seculi exemplum daret, hunc ordinem observavit *c. Deus omnipotens. 2. q. 1.* In puniendis Sodomitis *Gen. 19.* in Achan *Jos. 7.* in Villico. *Luc. 17.* & hunc quoque servabit in extremo iudicio, ad *Theff. c. 4.* Rectè *Nicodemus*, *nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierint ex ipso & cognoverint quid faciat. Ioan. c. 7.* Temerarium iudicium sequitur iudicium perversum: quare, *antequam scriptoris na reprehendas, intellige prius & tunc increpa*: ex sola accusatione neminem condemna, reum quoque se defendentem audi & aliorum sententias & iudicia exquire: veritatem dies aperit, poena dilata potest exigi, exacta revocari non potest. Seria res quando agitur, in morã multum est consilii. *Alexander Severus* repropolita Consiliariis, ad cogitandum, dabat eis spatium, nè incogitati de rebus magnis sententiam dicere cogerentur, maxime in criminalibus: hic enim

Res tibi cum morte est, non est hæc alca lusus: simulcont. Te reus ante tremitt, tu magis ipse treme.

Pædetentum hic Iudex procedat: *nulla de morte hominis cogitatio longa*. Præceps cavendum iudicium, ubi provocacione error non potest corrigi. Optimus Iudex citò intelligit, lentè iudicat. Non impetuoso animo aut præcipitato fetet sententiam, sed sedendo, oculis apertis, manibus privatus: imo licet tot habeat oculos, quot fabulosus Argus, vix litibus examinandis quæiversis sufficiet. Citò credebat *Josua & à*

Gabaonitis delusius est. *Ios. c. 19.* Ut ergo nocet precipitantia, ita & tarditas nocet iustitiæ, quæ plus æquo producuntur & laxantur iudicia: imo *convertuntur in amaritudinem & fructus Iustitiæ in absinthium*: certe utilius est, cito causa cadere, quam post multos sæpe annos vincere, victoriâ Cadmæâ. Hi Iudices ex *iustitiâ* faciunt *iustitium*: non vocant *in jus* sed *in injuriam*, ob tot ditationum corollaria, intercessionem fuites, provocaciones improbas, postulationes protervas, eremodicia affectata. Quid hisce iustitiæ est aliud, quàm *constans & perpetua voluptas jus suum cuique promittendi*. Lites ita videmus non iustitiales sed seculares hoc tempore & hac morum iniquitate: ô quantum hoc peccatum! Profecto ex majoribus hujus mundi plagis & afflictionibus cum sint processus, annon maximæ erit charitatis illos impedire, aut saltem quam potest fieri brevissimè definire: ne Iudicii ordo & processus, fiant ambages, confusio, labyrinthus, asyllum calumniæ, scopolus aut vadum, in quo causæ sæculis aliquot adhærescant. Saluberrima ergo fuit constitutio Justiniani in *l. properandum. Cod. de jud. l. fin. C. ut intra certum temp. quest. crim. termin.* utinam servaretur ita, nè fugiens prolixitatem incidat in noxiam breviter!

Th. VII.

Cancellariæ, Curia, Iudicia, publicæ sunt functiones, Dei administrationes, ergo ad has eligendi viri sapientes, timentes Deum, qui oderint avaritiam: qui dignitatem criminibus non prostituunt, qui magistratum non pecunia, aut fautoribus sed virtutibus ambiunt. Utinam nemo admitteretur, nisi à sordibus, ambitione & ambitu purus. Ambitus quæcumque facit, ambitio facere compellit. Rectius inviti quam ambientes in administratione collocantur: hi excludunt pauperes & probos, & pecuniam ad mercandum non habentes: quare

quare ambitus crimini variis legibus in Republicâ Romanâ
obviatum: Lege *Calpurniâ*, *Tulliâ*, *Petiliâ*, *Papiriâ*, *Iulîâ*, &
Novellâ *Iustiniani* §. ut Judices sine quoque suffragio fiant.
I. ult. C. ad l. Iul. repetund. Sed ô tempora, ô mores! ubi nunc
sunt candidati illi veterum? Ubi nunc non sunt dantes & ac-
cipientes? Hi si non essent, & illi cessarent. Quis gratis ho-
diè promovetur? quis in honorum petitione non in verecun-
dè ambitiosus? quis quando eos est adeptus, in superbiam
non extollitur insolens & intolerabilis? Hic gloriatur se præ-
esse, non curat prodesse: imo se statim meliorem præsumit,
quia se cernit superiorem: amicos priores dedignatur, igno-
rat jam notos, externos comitatur, antiquos contemnit, vul-
tum avertit, cervicem erigit, fastum ostendit, grandia loqui-
tur, subditis est onerosus, gravis & importunus. Jurisdictionis
officia vendere, & addicere plus licitanti, quid aliud est, quam
doctæ industriæ & veræ gloriæ stimulos retundere & contra
pecuniæ studium & avaritiam commendare? quam in exili-
um pellere omnes bonas artes ac tenebris damnare omnes
virtutes? Qui ergo à Rep. omnem sordium & concussionis
labem vult exulare, dignitates & honores dignis gratis debet
largiri non auro & muneribus venalibus habere: qui enim
magistratum mercari didicit, nunquam munera capere de-
didicit, aut sine muneribus aliquid facere volet. Annon Ma-
gistratus bonum est publicum civitatis, quod tantum virtuti
debetur? Nundinari Magistratus omnis malitiæ initium &
finis est: unicum malæ constitutæ Reip. argumentum: imo
melius in curiis se res habebunt, si nulli commendarentur sed
tantum merita investigarentur, nam vix ulla commendatio
sine fuce est. Idonei ergo rebus gerendis præficiendi, probi,
docti, prudentes, quos nec ambitio, nec gratia, nec simulatio
virtutis aut doctrinæ, nec æstimatio ficta & vulgaris commen-

dat. Princeps ergo in noscendis subditorum suorum virtutibus non debet esse negligens, ne insinuentur in notitiam ejus doctrina & virtute vacui; ne arceantur ab eo calumnia, detractio & invidia meliores, ne doctiores cogantur studia sua deplorare & parvam virtutis & scientiæ estimationem.

Heu quorsum in studiis miseri consumpsimus ævum?

Sunt Musæ mule, ne straque fama, fames.

Quoties honores & dignitates indignis exhibiti, in eorum commutati sunt ruinam? Quoties infelix gloria & honoris cupiditas immoderatus appetita & usurpata nocuit? *Sophonius Tigellinus* præfecturam Prætorii adeptus, ad guttur usque plenus vento ambitionis, sectis faucibus novacula vitam misere finivit. *Sicus Cancellarius* decapitatus in arce Mediolanensi, antequam cervicem præberet lictori, dixit: *à me il capo, à te il stato*: ita saepe inter maximam fortunam & ultimam nil interest. *Summum ad gradum claritatis cum veneris, consilies egrè, & citius quam descendas, decides*: quare ad regimen homo venire debet, sicut ad furcam, ne dum in summo exaltatur, illaqueatus cadat. Quare ò Deus, concede mihi pauca habere & nullius indigere: modicis rebus longius ævum est: & tandem eadem moriendi necessitas omnes involvit, quæ vilissimum mendicum. Vale ergo terra, Salve cælum!

Th. VIII.

UT Cancellariæ & Curia vacent omni defectu, requiritur in primis, ut iudicium in his persona omni virtute emineat: hic enim de alterius errore debet iudicare, qui non habet, quod in seipso condemnet. In iudicium ergo numerum admittimus etiam peregrinos & externos: invidiosè peregrinitas nonnunquam ab indigenis obicitur, cum virtus debeat esse patria: rectè *Cicero* suis respondit adversariis, *peregrini non habendi, quorum jam est nomen & honor, urbi & hominum facta & sermonibus in veteravit*. Spurious ad magistratum hunc non

non admittimus multarum civitatum & populorum exem-
 plo. *Deut. 23. l. generaliter. S. Spurios. ff. d. decur. l. honor. ff. d. mun. & honor.* Senes tamen junioribus hic præferimus, ob
 sapientiam, experientiam & multarum rerum usum, tertium
 illorum oculum. Adolescentia docta potest esse, at non est
 prudens, nec habet auctoritatem: ad honores evecti, pejora
 facilius audiunt juvenes, & per hos labefactata sæpe Reipub-
 lica, restituta sunt à senioribus: illi prius remis quam gu-
 bernaculis admovendi: horum plus valet umbra, quam gla-
 dius. Hi ergo potius in tribunalibus collocandi, quam juve-
 nes vertibiles, gloriosi, inconstantes, nimis creduli, animosi,
 impatientes, inexperti, omnia assertivè dicentes, ut de seipsis
 opinionem faciant, quod omnia sciant, cum tamen pauca fir-
 miter cognoscant: apud Romanos non nisi senex fiebat Se-
 nator, juniores prius consilii publici spectatores, quam con-
 fortes existère. *Celsus* tamen adolescens admodum jus civile
 interpretatus est. *l. 9. ff. d. verb. obl. Nerva* filius ætatis suæ
 anno XVII. de jure respondit. *l. 1. §. 3. ff. d. postul.* Nec ab ho-
 noribus pauperes excludendi sunt, abundantes bonis ani-
 mi, justitiæ, sapientiæ & pietatis auro. *Bajazetes* exprobrabat
Tamerlani natale pastoritium: respondit ille. *Nescis & ex la-
 na ovium purpuras Regum fieri.* Pessimè hodie, census sæpe
 facit Magistratus & Scabinos, ac si probitas & sapientia sita es-
 set in magnitudine possessionis & non in bono animi statu: sa-
 turitas sæpe parit ferocitatem, & imperitia potestati conjun-
 cta insaniam: ast divitiæ innocenter partæ & modestè habi-
 tæ, ad commendationem Judicis faciunt, si iis bene utatur:;
 facilius alieno & muneribus abstinebit, minus à populo con-
 temnitur, majori auctoritate valebit: utraque extrema ergo
 hic vitanda? *Scipioni & Æmiliano* neque *Sulpitium* neque *Cot-*
3477 *mitti in Hispaniam* placuit, quod alter nihil haberet, alteri
 nihil

nihil satis esset. Decor & forma, in apta quadam membrorum figura consistens eximium Dei donum est & Magistratum seu Judicem ornat, cum facies cujusque mentis sit forma, imo deformis vix bonos habere possit mores, quia magnis mentibus digna corporum domicilia metari censetur ipsa natura; scientiam tamen & doctrinam præferimus: hæc per se est de numero bonorum honorabilium: *ubi non est scientia, non est bonum. Prov. c. 13.* Jurisprudencia Judici pernecessaria: jus quomodo dicet, qui id non caller? Stulti hoc despiciunt. *Est malum quod vidi sub Sole quasi per errorem egrediens à facie Principis: positum stultum in dignitate sublimi & divites sedere deorsum: vidi servos in equis & Principes ambulantes super terram quasi servos. Eccles. c. 10.* Annon quotidie hoc ipsum videtur, divites in sapientia & doctrina, divites operibus bonis, sedent deorsum tanquam ignobiles & non admittuntur ad officia & magistratus, aut imprudentes, indocti & inculti promoventur ad dignitates, sedentque in sublimi ut cæci ad foveam: cum tamen fundamentum & fons omnis veræ felicitatis, laurus perpetuo virens & nunquam marcescens sit doctrina & peritia, cum pietate & probitate conjuncta: absque his virtutibus, quid sunt Judices, Consilarii, Prætores, scabini, Consules? pyxides venusta, veneranda nomina, pulchra vasa: aperi, inspice, in iis nec conscientiam nec scientiam invenies: ò testas famias & pulchras, sed vacuas: justitiæ larvas, non effigies veras!

Th. IX.

Proximus *Justitiæ modus est severitas*, quæ & in Judice bono valere debet, rigida scilicet & immota justitiæ, quæ regna & Republicæ florent, scelera & flagitia removentur, virtutes promoventur, agri, viæ, maria frequentantur, & ubiq; regnat securitas ac tranquillitas. Hæc severitas non debet modum exce-

excedere; in parvis si est nimia, dicitur *morositas*: in mediocribus, *acerbitas*, in magnis, *feritas*: hæc vacet, ne alantur peccata spe iniquitatis; ne summum jus summa fiat injuria, quando æquitatem non repudiat, sola verba legis servere urgens, quod vetat *l. 3. §. ff. d. R. I.* Simulata & ficta severitate nihil est ineptius, hæc paritur injustitiam, concipit dolorem, parit iniquitatem, summum jure qui in aliis nisi fuere, ipsi sæpe proprium rigorem experiri coguntur: qui aliorum sanguine delectabatur, suo se respergi ingemuit. Qui ambitionis ulnis, quod non debet, amplectitur, quod tenet, amittit. In eodem paribulo suspensus est superbus *Aman*, quod ipse *Mardocheo* paraverat: abutitur Magistratus gladio justitiæ, quem gestat ad defensionem bonorum & vindictam malorum, si immemor misericordiæ, clementiæ & æquitatis, observet solum rigorem: sine misericordiâ justitiâ est crudelitas, sine justitiâ misericordiâ est fatuitas. Nisi æquum & bonum jus ipsum moderaretur, summum jus, ut dictum, summa esset injuria. *Non sis nimium justus*. In parvis abire nonnunquam debemus à justitiâ, si in magnis eam volumus esse salvam. Æquitas est æquilibrium justitiæ, ne rigor justitiæ superet aut violent, neve nimia levitas eam perdat & obruat: minus tamen delinquitur in lenitate, quam in rigore: illi mederi licet, huic nequaquam: præstat accusatam absolvere injuste, quam injuste perdere, si peccandam est in judicio: illud est peccatum, hoc impietas. Sanctius est prodesse malis propter bonos, quam bonis deesse propter malos. Mellius nocentem absolvere quam innocentem condemnare. In dubiis semper humanitas declinat in levio rem. Æquitas tamen non scripta, si à jure scripto non diffidet, Judices pro jure scripto ferent sententiam contra æquitatem. *arg. l. 1. C. d. l. & cons. Princ.* nec imaginariam ad libitum capitis cerebri nam olicere debent æquitatem.

C

tatem.

tatem. Iudex itaque criminofum ex una parte caſtigando ob culpæ demeritum, ex altera ei compatiatur, quia eſt proximus ejus. *Vera juſtitia compaſſionem habet, falſa verò de dignationem*: ideo Magiſtratum ipſum nolunt eſſe debere ſupplicii ſpectatorem: Ipſe Nero juſſit ſcelera, non ſpectavit: ferina enim rabies eſt, ſanguine & vulneribus gaudere. Vituperandus *Caligula*, qui pœnis reorum cupidiffimè interfuſit. Vituperandi qui nova & acerba nimis excogitant ſupplicia: qui puniendi cauſam habent, modum non habent, cum odiſſe debeamus peccata, non homines, quare conſtituti in Curia & Cancellaria Judices, tractare debent ſubditos cum miſericordia. *Pericles* morti vicinus, hoc uno volebat laudari, quod nemo propter ipſum unquam pullam induiſſet veſtem. O Judices, utinam ſub vitæ finem pro ſe quiſque ita gloriari poſſet: *propter me nemo atratus fuit, nemo ingemuit, nemo oculos terſit.* O clementia nomen non tantum habes è cœlo, ſed etiam cœlum dabis! exceſſus tamen hic vitandus, ne plus noceat ſapientia Judicum quam rigor: quia æque mali ſunt, ſub quibus omnia licent quam ſub quibus nihil: non omnis qui parcit amicus eſt, nec omnis qui verberat inimicus: nocet bonis, qui parcit malis. Ideo *Maximilianus I.* loca deſtinata ſuppliciiſ ſontium præterire ſolens, ſalve, dicebat, *ſancta juſtitia*: quia *benedictum eſt lignum per quod fit juſtitia*. Qua fronte laudatur aliquis, qui erga ſceleratos ſe mitem præbet? Si cum manuſuetudine juſtitia non eſt conjuncta, Judicum in facinoroſos lenitas, nil aliud eſt quam in bonos crudelitas, & grave ad quodvis ſcelus malum: adſit ergo

Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas.

Th. X.

VEri & fortes debent eſſe Curiarum Judices: hoc vult *Eccleſ. c. 7.* *Noli querere fieri iudex, niſi valeas irrumperè iniqui.*

iniquitates, ne forte pertimescas faciem potentis & ponas scandalum in agilitate tua: Pilatus talis non fuit, timuit enim & a proprio conscientia dictamine recessit, cum Christum fateretur innocentem: Si hunc dimittis non eris amicus Caesaris. Ita judicialis muneris functio inane erit nomen, formularia & defunctoria tantum observatio. Quisquis veritatem metu alicujus potentia occultat, iram Dei super se provocat, quia magis timet hominem quam Deum, merito magis iram Dei contra se provocat, qui veritatem opprimis & condemnat propter metum superioris potentia. Proprium itaque Judicis erit veritatem tueri & semper profiteri: animus ejus propter formidinem consilio non debet privari aut turbari, aut flecti potentia hominum amplissimis dignitatibus ornatorum, sed semper manere liber, recti justique tenax, ut si fractus illabatur orbis, impavidum feriant ruinae. Vir justus quasi cubus est, qui ad omnem volubilis fortune motum, firmus fixusque obsistit. A Justitia ergo non deviat amore consanguinitatis aut carnalis amicitia. Quid enim sunt nepotes? saepe non sunt amici, quando nil potes? Quid affinis, nisi ad fines, scilicet tuos quos expectant? Non attendit ad personae qualitatem: fortissimus est, quem nec amor movet, nec timor terret, nec lucrum allicit, nec jactura debilitat nec amici superant, nec respectus aliquis a recto detorquet. Cleon ad Reipublica gubernacula evocatus, omnibus notis ac consanguineis unum in locum convocatis, ait, omnem sese nunc amicitiae, familiaritatis ac sanguinis memoriam juraque deponere, ne fortasse caeco quodam erga eos affectu adductus a justitia tramite & equo diducendo deflecteret. Robore animi Magistratui hic opus, quando pro communibus commodis tor adire inimicitias, tot subire tempestates, & toties dimicare debet cum audacibus & potentioribus improbis: ut adversa, quae contingere solent,

constanter ferat, v. g. si existant seditiones, quæ industria, componi non possunt, fortioribus remediis sunt coercendæ: existunt aliæ sæpe difficultates & pericula, quibus vigilando agendo & multa prospiciendo firmiter occurrendum est: hinc non illa sunt clara & utilia minus quæ in toga quam quæ in caliga geruntur. Populi iniquitates velut catenæ Judicem circumdant & vinciunt; fortitudine indiget ad has dirumpendas. Memorabile est illud ex Annalibus Angliæ: *Henrici IV.* Regis filium, cum servum quem perditè diligebat, omni conatu à tribunali abripere contendisset, furentius in Senarum irruisse: populus vidit hoc ac pertimuit: ast Judex vir justus & fortis hæredem Regni sic excepit: *accele- ra huc furiose juvenis, gladio quo eodem jam mimitaris hoc meum senile peccus, si placet, percutere: nam moriar potius, quam hoc exemplum patiar. Locus quo nunc abuteris, tribunal tui patris est, Judex, quem invadis, personam tui patris gerit. Lex quam violas, te reum sceleris non filium Principis, accusat. Ego igitur tui patris nomine totiusque regni auctoritate te propter hoc facinus in carcerem abire jubeo:* quo tonitru percussus Juvenis, gladium dejecit, seipsum sententiæ Judicis sponte submisit, & in vincula ultrò se præcipitavit: qua tragœdia aut comœdia audita, Rex, senex & sapiens, effusus in lachrymas: *ô me beatum, inquit, qui tam justum & fortem judicem, qui tam pium & obedientem filium ante sepulchrum video.* Fortis Judex scommata & convitia, quæ per se nullam vim habent, non curabit, intereunt etiam si ad animum solidum & sibi constantem applicantur. *Socrates* cum in Comœdia taxaretur, ridebat: *Paliagus* verò seipsum strangulabat. At tu Christiane Judex attende Christum, medium ægritudinis tuæ: propter te pependit in ligno & nondum est vindicatus & tu vis vindicari, cur non vis tantum & talem Magistrum imitari? an necis quod omnes

omnes qui piè in Christo vivere volunt, maximè Judices, qui officio suo probe fungi volunt, persecutionem patiantur? quare tanquam pro anima tua & usque ad mortem contra pro justitia & Deus pro te expugnabit inimicos tuos. Fateor, grave est excidere Principis gratia: ast multo gravius est excidere gratia magni Dei, a cujus nutu regna & imperia pendent. Ast non accrescent ita dignitates alicui à Principe? Sed accrescent à Deo in æternaturo regno: ast inglorius interea vives? In magna gloria est qui placet Deo? quid volatitica hæc gloria ad æternam cœlorum? Fortitudinem tamen suam Judex nunquam contra Justitiam applicabit, ut per impressionem, alteri parti æquior, alteram violenta jurisdictione territet: hoc esset à ratione ad violentiam discedere, jus in lege manuum habere, vi ac violentia jura dicere, qui non amplius sunt Judices sed gigantes. Rectè *Tiberius* censuit non utendum Imperio & militibus, ubi legibus agi potest. Fortitudinis enim nullus usus nisi adsit Justitia: si omnes essemus justii, nihil etiam opus fortitudine. Sub prætextu potestatis & Justitiæ, heu quam multæ sunt extorsiones, de quibus nemo conqueri audeat!

Th. XI.

Temperantiam quoque requirimus in Judicibus Curiarum & Magistratibus: hæc virtus affectus regit ac moderatur, ut congruant cum lege naturæ, ordine personarum, locorum, temporum. *Mansuetudo* iræ motum refrœnat, tendentis in vindictam; *modestia* superflua non requirit: *continentia* reprimat motum voluntatis commotæ ex impetu passionis. Sine *temperantia* feruntur sententiæ certi & definiti juris rationæ non temperatæ, nec sequuntæ exemplorum vetustatem, literarum fidem, monumentorum auctoritatem: quomodo aliis jura diect, qui seipsum gubernare non potest? Qualis hic

custos, qui ipse custode indiget. ex lege *Solonis* ebrius Magi-
 stratus impunè occidebatur: apud *Athenienses* princeps e-
 brius morte mulctabatur. *Plato* vinum iis prohibuit: suppri-
 me voluptates & ita supprimetur: hujus astu qui fertur & oc-
 cupatur, inquirendæ veritatis rationem amittit, quare in ira si-
 lendum, differendum judicium, donec calor deferbeat. *Omnia*
quæ iratus agit, ornata postmodum intelliges. Sententia ergo
 nec hic præcipienda aut exequenda. Rectè Apostolus?
date locum iræ: nec adversus eos quos malos putat Judex deo-
 bet excandescere *l. 19. ff. d. off. Pres.* Per iracundiam ergo
 pœnæ non sunt decernendæ: faciebat olim id *Augustus*, sed
 incurrit hanc reprehensionem *Mecænatius*, *Surge tandem can-*
nifex: damnosæ sunt præcipientes pœnæ: Legem tulit *Theodo-*
sus, nequis ultimo supplicio afficeretur ante XXX. diem à
 sententia lata. Ab invidia etiã ò Judex tibi tempera: hæc
 radix omnium malorum, seminarium delictorum, materia
 culpæ. *Venenum aspidis sub labiis invidorum, os harum*
malodictione & amaritudine plenum est. ò livor quantum so-
 les parere partialitatem! Ut ab illicito aspectu personarum si-
 bi temperarent *Areopagite*, litium controversias noctu diju-
 dicabant. Incontinens & luxuriosa vita, malorum Judicium
 propria est: Continentia & corporis bonum est. & in animã
 temperantiam parit: absint à Curia prandia & cœnæ: apage
 ista circæa pocula! Animus hic potius curandus quam cor-
 pus: an ideo in Curiam veniendus, ut edamus, ut vivamus?
 an hic ut in symposiis Græcorum audiendus, ille tantum, qui
 calicem habet? an nulla differentia constituenda inter Curia-
 m & tabernam meritoriam? Sobrietas est mater sanitatis, &
 hujus soror vinum modicum! sed ò quam multi sunt, qui so-
 rorem magis amant & sequuntur quam matrem. Vinosi
 non sunt ad consultandum idonei. Frugalitas est magistra
 sapien-

sapientium optimorumque consiliorum. *Spartiate* interrogati cur vinum parcissime biberent? Respondit *Leotychidas*: *ne pro nobis alii, sed nos potius pro aliis consultemus.* Fugite ergo & Iudices & Magistratus, istos excessus epularumque luxum & libidinem: servate veram continentiam & animi moderationem: Vos quidem Dii estis, at certe ut plebejus homo morituri estis.

Th. XII.

Multa sunt negotia, infinita circumstantia, omnes tamen sedulo examinanda ab eo qui recte judicare cupit: prudenter omnes conferenda, ut quid singula vel sola vel cum aliis conjuncta ponderis habeant, cognoscant Iudices: Prudentia ergo opus est iis, id est, habitu illo practico, quo de bono humano quis secundum rationem facile consultat: quare nunquam sine virtutibus prudentia, vel sine prudentia reliquae virtutes poterunt esse perfecta. *Beatus homo, qui invenit sapientiam & qui affluit prudentia.* Hujus habitum duo gignunt in Iudice, alterum est, ut munita sit mens ejus cognitione & disciplina: alterum, ut spectaverit ipse negotia multa: nam solus ille ad singularia perpendenda caecum habet animum: solus hic in universalium cognitione nihil videbit. Hac virtute qui caret, ut exoculatus Cyclops quoquo versum porrigit manus & certo non utitur scopo, omnia agit ingentium tumultu, nullo judicio: Virtus hac à *Providentia* dicitur, principaliori ejus parte: docet enim quomodo praesentia sint ordinanda, praeterita cogitanda, futura providenda: nunc festinat, nunc cunctatur, ad singula intentus, tempera observat, locum, personas, causarum qualitates & quantitates expendit, nunc simulat, nunc dissimulat, ita ut in sententiis dicendis, prudentia salis in cibo rationem obtineat. *Estote ergo prudentes, sicut serpentes: citra calliditatem tamen, quae Justitiae limi-*

res egreditur & non solum honestatem spectat, sed perversa
 ratione huic præponit, lucrum, voluptatem, honores: quæ
 perversio defectum rationis non arguit, sed excessum. *bonus*
 hinc dicitur *dolus*, qui fraudem & malas artes repellit; *malus*,
 per quem ad iniqua perversa impelluntur ingenia: subdoli &
 fallaces sunt hi, omnia referentes ad suas utilitates, callidi scru-
 tatorum latentium noxarum, astu pleni, versipelles, simplicita-
 tis inimici, verba habent dubia, promissa parum fidelia, perso-
 næ fucate, judicia haud quaquam recta, factæ admonitiones,
 spectant in insidias, deceptiones, illusiones, parum tuta sunt
 cum illis consuetudines ac commercia, cogitationes eorumque
 plerumque id intendunt, ut fallant, ut per insidias & simula-
 tiones, quod cupiunt, assequantur, & magis gaudent se quippi-
 am adeptos versutia & calliditate, quam simplicitate ac recta
 ratione. Tales si fiant & sint iudices & magistratus, ut imple-
 ant libidines & habendi cupiditatem, mente & cogitatione
 suis nihil non versabunt. Nunquam ergo, calliditas,
 astus, fraus, dolus malus, fallacia, erit prudentia dicenda: sim-
 plicitatem & candorem in iudicibus requiro, non linguam
 bilinguem: sit sermo eorum procedens ex corde, sicut proce-
 dit ex ore, est est, non non, *c. etsi Christus. X. de iurejur.*: dolo
 agit, qui lingua ait, quod corde negat, aures enim humanae
 iudicant talia esse verba nostra, qualia foris sonant. *c. humanae*
na. 22. q. 5. à Jethro Moysi consilium datum, iudices subser-
 diarios ut eligeret, in quibus sit veritas, à quibus absit simulatio
 tio, hypocrisis, adulatio: duplices corde, aversatur Deus, amat
 candorem dictorum & factorum, in calumnias & falsa testi-
 monia severè animadvertit. Egregia habemus exempla Jus-
 tici, qui per prudentiam sagaciter veritatem invenerunt
in Salomone. 3. Reg. c. 3. in Daniele, in Petro Alphonso, Carolo
Magno, Rudolpho Austriaco &c. habemus etiam alia exempla,
 qui

qui callidè & fraudulenter sub specie prudentiæ decipere, alios voluerunt, sed ea numerare jam non vacat, alii jam latè illa deduxerunt.

Th. XIII.

AD superiores Judicum virtutes, quarta cardinalis debet accedere, *Justitia*, & nihil hoc monili pretiosius? bonus hic est circulus, si *justitia*, quærit, *prudentia* invenit, *fortitudo* vindicat, *temperantia* possidet. *Justitia* dicta est, quod vim sistat, quod in ea jus consistat, est juris status & habitus perquam justorum operationes fiunt; *constans* & *perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*: omnium virtutum domina, regina & mater. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? & c. qui operatur Justitiam*: hæc commune bonum spectat, nec se angustis quibusdam limitibus contineri patitur, sed effundit aqua verum & omnes omnino complectitur. Neque Hesperus nec Lucifer tam est admirabilis quam *Justitia*. Stellam Serenissimi & loco & animo Celsissimi Hassiæ Landgravi gerunt pro insigniis suis, quæ quasi particularis invitantur, ut à Sole *Justitiæ* nunquam dimoveantur, nec prece, nec pretio, nec hominum potentia, terrore aut proprio interesse, aut illo modo ac respectu occasum sentiant, sed huic porro inseparabiliter adhæreant, mane & vesperi, procedendo ad instar *Luciferi*, seu ut *Hesperus* eam sequendo: ita fiet ut non tantum sicut stella in firmamento cæli, sed ut *Sol ipse fulgebunt. Justitiam fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum. Matt. 6. 13.* Nullus ergo erit Judex sine *Justitia*: hæc in SS. per oculum vigilantem designatur: hujus hieroglyphicum est aquila perspicacissimi visus, cum inscriptione, *suum cuique*. Palma in corrupta ac tenaci aëscia, Laniæ & æquilibrium, momenta causarum ponderans. Hæc Dea Judicibus, Consiliariis, Magistratui perpetua debet esse comes: sanat enim vulnera populo

pulorum, motus comprimit, pacem & otium cum dignitate constituit, vires Reip. firmit. Hæc veneranda & in exorabilis iustitia jugiter colenda, solida ejus effigies in judiciis Curiarum & Cancellariorum retinenda, adumbrata & fucosa ejus, veram eminentem profus rejicienda ac detestanda. Retinebitur si sequantur Judicis leges præscriptas, non suam phantasiam aut præsumptam æquitatem: si non sequantur, fallunt & falluntur. O quam multi sunt hodie, in quibus deficit *Sal sapientia & Sal secunda conscientia*: qui contra leges pronuntiant, mali Poætæ qui præter Musicæ modulos canunt: in tota S. Scriptura nolunt reperiri hæc tria vocabula, FAVOR, FAVERE, FAVOR: quam pauci pollent *Briennensi Iustitia*: quam pauci dantur *Becchyrii*. Hinc ipse *Alphonsus* Aragonum Rex omnes suos Judices monuit, ne quod suum re scriptum vel decretum fervarent, nisi quod jure & veritate niteretur. *Fridericus* Imp. laudandus, cum *Ladislau* puerum Hungariæ & Bohemiæ Regem educaret, suaferunt nonnulli, ut unius corpusculi casu, sine invidia & infamia duo florentissima regna sibi adjungeret: *Fridericus*, cui Justitia plus erat quam tot regnorum congeries, id noluit, & sceleratum hoc consilium salutari hoc dicto repressit. *Quid ergo inquit dixerem potius quam justum Regem me vultis?* Sanctissimum profecto verbum. Justitia plus solet ditare, quam quæ injusta sententia acquirit. Iniquo Judice & Consiliario nullum venenosus est animal: quare

Discite justitiam moniti & non temnite Divos.
 Non debetis esse sicut Sol, qui alios calefaciens, in se tamen non habet calorem: ita & Vos ipsi non justii, aliis tamen administrabitis justitiam: perpendiculari similes eritis, quod prius in se est rectum, antequam illa quibus adhibetur, recta faciat: regite passiones vestras, amate veritatem, excutite vanitatem, fugite avari-

avaritiam, magnū Dei timete iudicium, facite iudicium vestri & iustitiam alterius: qualis in se quisque est, talia cuique sunt quae accipit non tam de sorte quam de electione con-
 queri possumus: si nos mala cogitamus, nos agitant mala: si
 mala quotidie sequimur, merito nos mala sequuntur. Quo
 magis sponte humanam iustitiam fugimus, eo magis iustitia
 nos divina invitos assequitur.

Th. XIV.

Magna praeterea virtus est in iudicantibus, *integritas* &
incorruptibilitas, si iustitia ad quæstum non abutantur, si
 iurisdictio illorum non sit alieni juris captio aut ambitiosa: si
 non committant crimen *concussionis* aut incurrant *Barratar-
 rianam*: Hæc corruptela iudicium & iudicorum omnium ma-
 iorum est causa, flagitiorum finis & principium. Si auri sacræ
 fames proserpit veneranda penetralia, quid potest esse secu-
 rum? Ast malum hoc usque passim adeo inolevit, ut jam ex
 consuetudine vendantur leges, jura corrumpantur & senten-
 tia ipsa sit venalis, & *nulla jam causa esse possit sine causa*: nihil
 proh dolor! tam munirum, quod pecunia expugnari non
 possit: mœrent captivæ polluto iudice leges: ubi nummus
 loquitur, Tulliani eloquii tuba raucefcit. In gratiis gratuitis &
 jejuna comitatis vel effœta non magna spes collocanda est:
 gratiæ prægnantes & grævida apud iustitiam & iudices ma-
 gnā vim commendationis habent. Quis dicere nunc eru-
 bescit? *Quid tibi dabis ut tibi iustitiam administrem?* Quis
 in magistratu constitutus, parvo temporis spatio non ingen-
 tes congerit divitias? ratio potest dari vel esse hæc: *Accusatoris dum venerit ante tribunal, si
 proficit in nibilo, si venerit absque dativo: Nulli charus erit, si copia deficit aris.*

De hominum iudiciis sui ævi questus est olim Solon: rogatus

enim quia esset lex? subiunxit, *aranea tela*: hæc magnis rumpitur muscis, minores strangulat. *Diogenes* quendam duci conspicatus, qui ex æratio furatus erat phialam, magni, inquit, fures parvum ducunt. *Privatarum rerum fures in compedibus vitam agere, publicarum in auro & purpura, conspicuus incedere,* dicebat *Cato!* Ibi fas, ubi plurima merces. Sed hæc donationes in die iudicii quid aliud erunt quam damnationes? S. Scriptura ubique extollit refutantem munera *Psalm. 14. 1. Reg. 12.* Justus *Aristides* interrogatus, quid esset iustitia: nihil, inquit, alienum desiderare. *Male verum examinat omnis corruptus Iudex. vincita est sapientia lucro.* Tamdiu Regna & Respublicæ feliciter crescunt, quamdiu Magistratus & Iudices suo neglecto, communi bono student. Horrendam maledictionem Deus in hos vibrat. *Deut. 1. 27. v. 25. Psalm. 25.* Arcendi ergo à Magistratibus, qui sunt avari & corruptibiles. Cupiditas quos semel invasit, in aureum quasi furorem vertit, quos nec mortis timor, nec extremi iudicii, nec ipse horror inferni à muneribus aut pecuniarum appetentia potest avertere. *Felix Cæsareæ Præfes* tremefactus est, disputante *Paulo* de Iudicio extremo. *Act. 24.* non tamen satis efficax erat hic horrendi timor iudicii, nam inextinguibilem pecuniarum sitim in eo non poterat sedare: tremebant omnia corporis membra, nec tamen à dandis sibi ab Apostolo, ut sperabat pecuniam, oculos avertebat. O quam multi hodie inveniuntur *Felices*, sed revera *Infelices*. Huic vitio extirpando, quænam poenæ & minæ sufficiunt, abusus hic plus jam valet, quam tot optimæ leges & edicta: hæc enim chartæ atramento: ille inauratis literis cordi inscribitur: aspera leges intentant supplicia, ast nummi blanditiis sese inferunt. O magna sed occulta vis munerum! Quis munera dantem non redamaret? In *Ruscia* quidam vir opulentus canem sibi charum & mortuum, sepelivit

livit in cœmiterio. Judex ejus loci pecuniæ cupidus, virum hunc velut maximi criminis reum ad sepuniendum vocat, qui quinquaginta aureos secum ferens ad Officiatum devenit: & cum ob sepulturam canis in cœmiterio condemnatus esset ad carcerem, ô Judex, inquit, si nosceres quâ prudentia hic canis fuerit, non mirareris, quod sepulturam inter homines meruerit, nam fuit plusquam ingenio humano, in vita & præcipuè in morte: testamentum enim in fine vitæ condidit & tibi quinquaginta aureos reliquit, quos mecum detuli: quâ accepta pecunia Judex testamentum & sepulturam comprobans, virum absolvit. Ita auro capiuntur homines, ut laqueis avers. Ita, Xenia & dona excœcant oculos judicium. Eccles. c. 20. Quid prodest lucrum auri cum damno innocentia & integritatis?

Judicis est recti, nec munere nec prece flecti, & sede sedens ista, Iudex inflexibilis stæ.

Th. XV.

QUæ de Curiarum & Cancellariorum Justitiæ usu & abusu diximus, de Judicium in ea virtutibus & vitiis, ea etiam extendenda sunt, ad Procuratores, Scribas, Secretarios & Advocatos. Procuratorum officium perquam necessarium esse non negamus. l. i. ff. de Procurat: imo proximum est advocato ejus officium, quia uterque in judicio alienam causam agit, Advocatus postulando, hic instar Domini curando. §. pen. Inst. de iis per quos ag. poss. Filius familias tamen quicquid ex procuratione sibi quasiavit, non est quasi peculium castrense, auctoramentum scilicet doctrinæ alicujus vel ingenii, communes tantum præstat operas in sollicitanda & tractanda causa, non operam singularis doctrinæ & honestissimæ artis, ut Advocati, qui debet esse *Amistus Justitiæ Jurisque tutor*

ac vindex. Officium Procuratoris est privatum, non tam honorabile l. 34. C. de Decur. non tam dignitas quam orus: post litis contestationem litis dominus appellatur, & in causa sibi mandata factum ejus Domino nocet & prodest c. 1. 2. d. confes. in 6. quare causa sua debet esse custos, inlitor, Argas; peritus cautor & formularis, sine dolo & fraude, sine machinatione & fallacia defendere alterum boni viri arbitratu, & quia circa lites versatur, omnia mala noscere debet. *Siebardus in l. f. C. mandat* non tamen facere. Ut Medicus notitiam habet non solum salubrium herbarum sed & venenorum & noxiorum pharmacorum: sed quam multi reperiuntur, qui nunc in foro versantes tantum malitia non tantum addiscunt sed etiam in praxin deducunt, homines perverſi & nequam, jura confundentes, lites suscitantes, transactiones refeindentes, dilationes innectentes, veritatem supprimentes, mendacium foventes, quaestrum sequentes, æquitatem vendentes, actionibus inhiantes, versutias concipientes, litium farnatores, vultuum, vocum ac nutuum aucupes, arcanorum captatores, homines circum foranei, aurum rapientes ut ignem naphtha: dum lis insidet animo tuo, verba eorum sunt blanda & butyrina, molliora oleo, revera tamen stricti gladii conscientias hominum pervertentes, judiciorum sanctitatem permutantes, comperendinationibus judicicia differentes, litigantium patrimonia abligurientes, ad tribunalia properantes tanquam ad auream messem, quorum nares si afflaverit uspiani ruginosi aura Marsupii, ecce oculos Argi, manus Briarei, Sphyngarum ungues. Horum ergo patrociniū, annon recte dici potest, verum latrocinium. Aesopica gallina cum ægrotaret, feli interroganti quasi ex benevolentia, quomodo videret? respondit: Recte, ait, sed si tu discedas.

Scribarum quoque munus Curiis & Cancellariis est perquam necessarium, arg. rubricâ Cod. de tabulariis, Scribis & Logographis. Sub Scribis continentur notarii, exceptores, qui acta Judicium scribebant. l. inter eos. §. 1. ff. quib. ex caus. major. Regendarii. Nov. 15. Secretarii, Cancellarii: Scribarum fit mentio in facis literis, 2. Sam. 8. & 9. & 20. 2. Reg. 12. & 22. Jerem. 32. Matth. 2. Ex Phariseis etiam aliqui erant Scribae, aliqui non: illi ita dicti, non quia simpliciter scribebant, sed quia erant *Legisperiti*, & ex Prophetarum libris respondebant: ut hodie viri docti vocantur *literati*, *Grammatici*, *Philosophi*. Esd. c. 8. *Cum esset Scriba & ingeniosus in Lege Moysis quæ data est à Domino Deo Israel, docere & facere.* Nomen hoc fuit dignitatis summa, qualis erat *Cancellarii*, proximi à Rege, decreta nomine Regis concipientis, scribentis, promulgantis, lectitantis, qualis fuit *Sarajas Davidi*. 2. Reg. c. 8. *Sobna Ezechia*. 4. Reg. 18. de quo *Symmachus*. *Quattor es, Legum conditor, Regalis consilii particeps, Justitia arbiter: Notarii à notis dicebantur veteribus usitatis: hodie sumitur pro persona publica auctoritate Pontificis vel Imperatoris, vel etiam aliorum qui id jus habent, ad id, constituta, ut contractus, ultimas voluntates, & alia hominum varia negotia in scripturam publicam & authenticam, redigat, ut plenam fidem illa tam ad presentium quam posterorum memoriam faciant. Cavendum ei ne instrumenta conscribat super negotiis illicitis, ne ideo infamiam incurrat, aut privetur officio Notariatus: quare doctrina etiam in iis requiritur, ne nimia in peritia eorum destruat mundum & conscientias bonorum virorum ponat in magno discrimine. Armarium Scribae, fortuna curæ Forum est. Secretarii in officio sunt eminentiori, secundum Magistratus, Dominos, Duces, Reges ac Imperatores quibus*

inserviunt. Principes his sua committunt secreta : hos, *Regis consilium solos decet scire gravissimos.* Tribuni dicuntur Notariorum *i. Cod. de primicerio & Notar.* Referuntur ad *spectabiles & clarissimos.* jus gladium gerendi & cingulum habebant. *Alexandri Imp. Licinii Secretarius*, qui cum ei manderet, ut insignem ramum multis refertum uvis amputaret & idolo Bacchi offerret, & ille, utpote Christianus hoc facere recusaret, ejectus fuit e Curia & cingulo exutus.

Th. XVII.

ADvocatorum quoque hic mentio facienda, digni enim habentur honoribus omnibus *l. laudabile. l. i. C. d. Adv. div. lud. l. 14. C. eod. l. i. ff. d. var. & extr. cognit.* Quippe *Justitia procul dubio periret, si deesses qui justitiam allegaret.* Res sacra est clienti afflicto patrocinium prestare. Anteposenda vita boni Advocati vitæ multorum religiosorum, sacrificat sacrificium Justitiæ Domino, qui enim justitiam colit, Deo libat. A feris non discrepant homines soluti legibus. In ea Republica, quæ scripto jure regitur, Deos imperare affirmat *Aristoteles.* Verbum Dei quasi Advocatus fuit Davidis. Hic quasi os, manus & anima Regis est, colenda tanquam imago Dei viventis. *Alexander Imperator* quantopere amavit *Vlpianum. l. 4. C. locat. l. 4. C. d. contr. & comm. slip. Trajanus* nil sine *Neratio Prætor* decrevit, imò huic aliquando dixit, *commendo tibi Provincias, si quid mihi fatale contigerit.* Optimi *JCh & Consiliarii*, Principum omnium optimum reddiderunt *Antoninum Pium.* Alii plurimum tribuunt generis nobilitati, & *Cæsar* intellexit in eruditis esse aliquid stemmatibus præstantius: Mille equites, aut *Stoicismus* uno die facere possum, aut Doctorem unum ne mille quidem annis. *Alphonsus Rex* omnia optabat perdere, quam ut tantillum eruditioni suæ discederet. Scientiæ filia nobilitas, ma-

Th. xime

maxime *Iustitia* seu *civilis sapientia*, cujus tres quasi erant partes, *cavere, respondere, judicare*. Hujus scientiæ cultores sunt Advocati, quæ excepta Theologia omnes alias excellit artes: quæ sublatâ nemini potest esse exploratum quid suum, quid alienum? Hinc JCTi ad omnium dignitatum apices promoti. *Minutium* Advocatum *Hieronymus* in numero ponit viro- rum illustrium? *Plinius* quantus fuit Advocatus? Pontifex *Clemens IV.* JCTus fuit, totiùs Galliæ primarius Advocatus. De horum variis & egregiis priuilegiis, vide *Capollam* in *tract. de Imp. elig. in verbo: dignitas. Alexandrum* in *l. Centurio ff. d. vulg. & pup. subst.* Ob hæc excellere debent multis virtu- tibus & vitiis carerè, observare tria illa juris præcepta, pauca uerba sed multæ substantiæ. In consiliis non erunt contuma- ces, cum præstet recurrere quàm male currere: sed adesse debet suadendi libertas & maturitas: horum consilia aver- sanda, quæ velocius quam asparagi cocta sunt: consilia cali- da prima specie lata sunt, tractatu dura, eventu tristia: *Ante consultationem* omnes debent affectus deponere: *In consulta- tione* ad tria respicere, ad objectum, ad finem, ad media: *Post consultationem*, ut consilium maneat secretum & mirabilia o- perabitur, si propalatur, annihilabitur. Dolendum hodie ob pravam hanc consuetudinem, quæ consilia æstimamus bona vel mala si bene vel malè successerint. *Plin. lib. 5. Ep. 21.* Quis dabit consilium, si etiàm bonum consilium, damno sit? Si e- ventum præstare debet cum fide? Medicoritas tamen hic præferenda subtilitati ingenii; prægrandia ista acria & acuta ingenia minimè sunt expediti consilii & novandis rebus a- priora quam gerendis. Laudandi hi Advocati & Consiliarii, qui plus Deum quam Principem timent: qui enim solius su- perioris ducuntur respectu, sunt idololatræ: qui solius Regni

vel Reipublica, *Athei & Machiavellicae*: qui sui ipsius, *Epicurei & Voluptuarii*: qui pietatis & Justitiae, veri sunt Regni ac Reip. conservatores, ornamentum orbis, splendor civium, asylum mundi, sanctissimus ordo & morum lumina. O quam pulchrum spectaculum! *ib. ultimo habet quidam*

A *Advocatus Jurisperitus*, ordinator litis, causae ordinandae architectus, Juris, formularum & usus forensis erit callentissimus, ut omnes causarum cardines, articulos, perfugia ac subsidia possit noscere, examinare & scire in quo articulo sit positum robur & quasi fatum controversiae, ne per negligentiam vel imprudentiam causam amittat. Titulum ergo & Gradum *Licentiae* non pro forma aut furo debet gerere, nullo habito respectu ad scientiam, sed sola nummi probatione in pondere, numero & mensura, materia & forma: Syllabarii Doctorculi, solidioris omnis eruditionis expertes, in ludo litigatorio Analphabeti, infantes, segnes, improvidi: libros saepe habentes ornatos & multos, ut docti & plurima lectionis videantur quos indoctos *Ludovicus II.* Galliae Rex ob instructissimas Bibliothecas similes dicebat esse gibbosos, qui molem e dorso portarent eamque nunquam inspicerent. Quam major est corruptela Judiciorum, quam haec publica, quasi indulgentia, in largiendis aut divendendis titulis Doctoratus, *Licentiae & Advocaturae*, quibus fretus Juventus, *cruda adhuc studia in forum propellit*. Certè nulli de Republica pejus merentur, quam qui *Licentia* concedendi jure, tam licentiosè utuntur. Facilitas haec nervos industriae Studiosorum dissolvit, quibus intendendis unicum foret subsidium severa promotio, in qua non tantum expendenda esset peritia, sed animi quoque indoles, mores, vita, fama. *h. z. C. d. dignit.* Generosior est Jurisprudencia, quam ut cum notatis, famo-

famosis, aut scelere aut turpitudine vitæ inquinatis debeat so-
 ciari. Unde ergo est, quod ex honestissimo studio tot prode-
 ant rabulæ, litium incitabula, turbatores concordia & quietis:
 quorum vita nil fordidius, ingenii nil obscurius, iudiciis nihil
 magis plebejum, origine nihil ignobilius, fama nihil ignotius,
 scientia nihil ignorantius. Stellionatus crimen committitur
 ab his Professoribus, qui hos promovent in Doctores aut Ad-
 vocatorum Collegium, contra l. 3. §. 4. C. d. *Advoc. & l. 11. §. 1.*
C. eod. Horresco referens illud ex Politicis *Adami Contzen.*
Eos Academicos peccare mortaliter, qui gradibus & titulis insi-
gnunt indignos, adeoque velut publico testimonio Tribunali-
bus ac Dei Ecclesis imponunt. Ob hanc facilitatem ad Do-
 ctorum per argenteos Ducatones, & Patagones rogavi
 nonnemo Professores, annon equum suum ad eundem gra-
 dum admittere vellent; respondebant quod sic: *nam cum*
creaverimus asinum in Doctorem, cur non & equum? Hinc illa
 sinistra vulgi iudicia passim audiuntur de Jctis & Advocatis,
 quod sint *honorum extortores, legum contortores.* Cautio ergo
 prima erit, non suscipere patrocinium malarum causarum,
 causa bona urgenda & præstanda assiduitatem præstare, ni-
 hil enim circumspectis Advocatis est tam formidabile, quod
 diligentia sua præcavere non possint: Si autem hoc non pos-
 sint, si ob varios in jure casus anxietas & fundamentum du-
 bium in eos cadat, consulere debent Confratres peritiores &
sepe revelatur minori, quod major ignorat. c. esto. dist. 95. Vir
 magnus qui futurus, nec seipsum, nec sua diligere, sed illud
 quod justum est, sive à se, sive ab alio quovis suggeratur: qui
 ignorantiam suam sapientiam opinantur, quanvis nihil sci-
 ant, scire tamen omnia arbitrantur: scientia moderata & mo-
 desta, amat, instruit: instructa non ideo minor esse timet, Re-
 de *Livius: qui de sua unius sententia omnia gerit, superbum ju-*

Subom

E 2

dico



dico magis quam sapientem : Sapientior omnibus eris, si ab omnibus discere volueris. *Quod tu non nosti, fortassis novit asellus.* In suo quisque negotio quis hebetior est, quam in alieno: turbida enim sunt consilia eorum, qui sibi suadent. Affectus Consiliarius pessimus. Saepe caro & sanguis est causa malae resolutionis: Recte *Decius* scribit, sibi molestum non esse, scripta sua à posterioribus argui: nam, inquit, iniquus essem Judex, si nollem ab aliis reprehendi, cum ipse solitus sim aliorum dicta oppugnare, pro veritate, non contradicendi studio. Nil ergo magis necessarium in causis arduis, quam consilium: sapientia & consilio florent Regna & Respublicae: nullum certius praesagium ruinae Principum ac Respublicae, quam si Deus mentem illis ita imminuat, ut repudiatis sapientum consiliis, homines provehant novos stolidos, imperitos, vecordes, adfentatores, qui omnia ad ipsorum gratiam faciunt & loquantur, quare sibi in tempore prospiciant, de viris ut loquuntur qualificatis, doctis, sinceris, quibus illis aequè ac pane quo vescendum, opus ac necesse est. *Wissen der wegen gottselige fromme Regenten / Fürsten und Herren darvor halten / daß treue fromme Diener und Gesinde / sie seyn Ausländische oder Einheimische / eine grosse Gabe Gottes / und daß es des Regenten höchsten Schutz sey / wo er etliche treue Leute zu Hofe und in Nemptern hat : Dann ein einziger böser Dube bey Hof kan viel Gutes verderben und verhindern: Theod. Reink. in polit. Bibl. par. 2. axiom. 59.*

Tha. XIX.

Boni Advocati officium est litigantibus se praebere consultorem, non litium & calumniarum conflatorem, non praevacariotorem. *Lev. 19. Non facies calumniam proximo tuo.* Haec pessima fera, haeret & habitat in pessimae naturae medul-

medullis, nec jam inter culpas censetur sed mores. o quam multa sunt in Judiciali & Justitiæ munere, studio partium & consulentium, quæ injuriæ quam juri sunt propria! Nihil tam deforme, tam contra decorum, quam ad civiles illas de justitiâ contentiones adjungere contumeliam, calumniam, probra aut aliam naturæ acerbitem contra legem, *quisquis C. d. postul.* Bonus Advocatus Sacerdos & minister est sacrosanctæ Justitiæ, non debet ergo quenquam verbis vel scriptis lædere aut traducere, aut infida advocacione damno afficere, aut adversarii sui jus dolosis subterfugiis & frustratoris dilationibus impedire aut remorari. Abominabilis hic est apud Deum, qui malum bonum & bonum malum, lucem tenebras, tenebras lucem appellat: absint ergo verba ambigua & duplicia dicta, materia sæpe novarum lium: absint apices illi juris ex minutissimis rebus, interpunctionibus, ambiguitatibus, quibus plerumque sub auctoritate Juris scientiæ pernitiõe erratur, absint strophæ & antistrophæ forenses, sophismata & antisophismata, insidiosæ interrogationes, per quas, ut per legitimas disputationes verum à falso non discernitur, cum veritas non quærat angulos sed simplicitatis sit amica: Sophistica hæc est simulata non vera Philosophia, quare non jus quærit sed victoriam & quocunque modo adversarium supplantare: o quam multa etiam in hoc judiciario bello sunt inania, quæ in extrema quadam ordinis pompa, quam in vera causâ cognitione occupantur! Quantus abusus Jurisprudentiæ, si tota ad disputandi argutias & calumniandi artes, non ad æqui aut iniqui judicium dirigatur. Veteres simpliciter & candidè procedebant in suis formulis Judicariis quod docet formula manus conferendæ in jure, & formula vindicationis. H. E. R. E. I. Q. M. E. A. *Hanc ego rem ex jure Quiritium meam esse ajo: excipiebat alter A. E. E. C. V. At ego eam contra vindico: & formula*

mula in actione personali A. T. M. D. O. ajo te mihi dare o
 portare. Respondebat per A. ajo vel N. nego. Iudices post
 causæ cognitionem tabellas in cistam conjiciebant hisce no-
 tatis literis: A. id est, *absolvo*. C. *condemno*. N. L. *Non liquet*.
 Ast in Curiis & tribunalibus quænam hodie occurrunt aucu-
 pia verborum & literarum tendicula, captiuncula forenses,
 conclusioꝝ formalitates, oppressiuncula non tantum ti-
 midorum sed etiam prudentum: quæ lex, quod Scutum, quod
 edictum, quod fœdus, quod testamentum, quæ stipulatio non
 infirmari aut convelli potest, si ad verba rem desistere veli-
 mus. Parisiensis quidam civis opulentus laborans morbo vo-
 cavit Notarium, rogavitque ut conciperet suum testamen-
 tum in talibus verbis ac terminis, ut in explicatione mentis
 suæ nulla postea oriretur disputatio: ast respondebat Nota-
 rius: *Ridesne me Domine? putasne, quod plus possim quam Deus
 ipse? Ipse fecit unicum testamentum, tamen fuerunt, sunt & e-
 runt semper mille disputationes; & dista, ut unum tibi faciam
 ubi non erunt?* Verus ergo Advocatus non querat placere
 parti, sed juri & veritati: non ergo instruat clientes suos, ut
 negent veritatem, ut falsum respondeant. Cuidam Advoca-
 to rusticus promissit Ducatum, ut doceret se modum nunquam
 causâ cadendi: docet ergo, *ut semper negaret omnia*: Advoca-
 tatus petit mercedem; Rusticus memor præcepti, negat se
 promississe. Tales sunt, qui docent grandia loqui, sed operan-
 tur exigua, largissimi sunt promissores, parcissimi exhibitores,
 sapientes ut faciant malum, eloquentes, ut impugnent ve-
 ram: monstrantur digito fraudum magistri, ille prudentior
 judicatur, qui peritior est fallendi.

Hæc quot in ambages, quot distorquetur in orbes,

Quot nodos omnis Regula Juris habet.

Advocatus quidam, felix causarum Patronus, hoc munere se
 abdi-

abdicavit & factus est religiosus, & ob dexteritatem, in rebus agendis Coenobio praefectus: verum rebus sibi non tam prospere ut prius succedentibus, mirati fratres causam inquirunt: ad quos ille: *Dei timor, qui mihi, ante oculos, facit, quod tam libere mentiri non audeam, veluti in seculo solebam.*

Th. XX.

Praeterea bonus Advocatus lites abbreviare debet, aut circumscriptius, aut concilius eas tractare, perfugiaque fornicia intercludere & rimas fugitivorum obstruere: bona enim fide, qui litigat, ad sententiam properat: ast qui timet catastrophem, è lite litem ferit, diem ex die dicendo: imo victi in uno foro provocant ad aliud & hæc provocatio morandi iudicii potius quam auxilii causa fit, imo calumniarum est alimentum. *Foliographi*, qui ea, quæ tribus foliis & articulis comprehendendi poterant, ad 30. prolongant, chartam implentes variis heterogeneis, quibus Iudicum oculos deterrent & quasi longis Iliadibus confundunt & obruunt, pessimi sunt causarum disceptatores, & raro quid solidi afferunt: vacua vasa plurimum sonant: minus docti verba multiplicant & dere pusilla longa texunt proœmia: foliola congerunt verbis plena, substantiæ vacua, quibus non terminantur negotia, nisi marisupis evacuatis: brevis ergo est: bonus Advocatus quam Juris auctoritas in ipsa causa penetralia recta deducit, non enim multa spargit tela, qui certa, ictus destinatione jugulum causæ ferire caller: nihil magis manifestam facit veritatem, quam brevis & pura narratio: Rectè *Bernhardus lib. i. c. o. ad Pontificem Eugenium.* *Miror quem admodum religiosa aures tuæ audire sustinent huiusmodi disputationes Advocatorum & pugnas verborum, quæ magis ad subversionem quam ad inventionem proficiunt veritatis: corrige prævum morem & præcide linguas. Vaniloquas & labia dolosa claudè.* Rectè *Fabius: in docti*

docti dicunt omnia, doctis, est modus & electio: & aliud est loqui multa, aliud id loqui quod expedit. Verba cause tria sufficiunt bona. Non oportet multis verbis pauca dicere, sed paucis multa. Verba nimia molesta sunt ubique. Ob id binas habemus aures & os unicum, ut plura audiamus, loquamur paucissima. Optimi homines in dicendo brevissimi sunt. Ne quidem si vera dicunt creditur loquacibus. Ut corpore tennes, veste se solent dilatare, sic ingenii aut sapientia inopes diffundunt se verbis; qui multa loquuntur, aut falsa aut superflua loquuntur, quæ omnia à veri Jcti & Advocati professione debent esse alienissima.

Th. XXI.

Verus ergo Advocatus & Justitiæ Administrator in Curia & Cancellaria, non nisi justa agit, nec tam amat forense bellum habere, quam justè gerere. Juris certa fiducia qui nituntur, statim vela pandunt litis, progredi cupiunt in altum, causam adversarii fugacis faucibus premere student, omnia tergiversationum & dilationum commenta conterunt, palam & via regia dimicant: ast causæ injustæ sibi consci, non æquitate, non bona fide nituntur, sed contentione forensi, coitione judiciali, proluisionibus immorantur, præscriptionibus moratoriis litem trahunt, & quovis modo per fas & nefas ad victoriam grassantur, dum causis iniquis colores quarunt, si modo recipiant: quædam enim prorsus non sunt defendenda justa Advocato: injustus, ut equus admiffarius hinnit ad equas, ita adhinnit etiam ad causas injustas, quando ferunt odorem lucri. Tutius non semper justo Advocato committimus & probo. Quis utilem causæ suæ judicabit, quem domi scelestum cernit? Hoc esset in coeno fontem querere? ex turbida aqua potum petere: Papinianus ne mortis quidem metu adduci potuit, ut parricidium Curia defenderet, *facilius,*

cilius, dicens, *id patrari quam defendi posse*. Non ita Baldus
 revocans consilium ob metum Principis, quasi à non intelli-
 gente scriptum, si illud esset offensivum aures sui Regis. Quoc-
 hodie non *Papiniani* sed *Baldi* sunt imitatores! illum excuso
 qui ex mala clientis informatione causam injustam in princi-
 pio putavit esse justam, si postea eam deserat. *l. rem non no-
 vam. §. Patroni Cod. de Judic.* Et illum laudo qui partes liti-
 gantes ad amicabilem transactionem deducit ne periclitetur
 amicitia & mutua dilectio tantopere Christianis commenda-
 ta, ne tempus pereat, facultates atterantur, ne animi nostri
 tranquillitas cunctis rebus preferenda, turbetur: hic Advoca-
 tus ostendit se non proprium commodum sed solam cli-
 entis utilitatem respicere. *Verecunda cogitatio ejus, qui lites
 execratur. l. 4. ff. d. alienat.* Impium est consilium suadentis
 clientibus ut Judicis animum donis & muneribus expugnent.
l. ut puta. §. sed etsi. ff. d. cond. ob turp. caus. ejuravit enim ini-
 quam calumniam *l. 14. §. 1. C. d. Judic.* quare suadebit clienti
 victori ut adversario: restituat quod injusta sententia ademit,
 imò ipse turpissimum quod accepit salarium restituere tene-
 tur. Sed rectè *Augustinus* Ep. 36. *Quis Advocatus reperit-
 ur qui dicat suscepto suo, Recipe quod mihi, dum male adessem de-
 disti: redde adversario quod ei me inique agente abstulisti. Vla-
 dislaus Polonie* Rex cum suasu uxoris bona alicui ablata resti-
 tuisset, dixit uxor Regina: *Pignora quidem reddidimus, cete-
 rum lachrymas eorum quis reddet?* Lachrymas viduarum, pu-
 pillorum & innocentium clientum quis reddet? Non debet
 pudere Advocatum mutare consilium & opinionem, visis me-
 lioribus rationibus. Qui causas desperatas contra conscien-
 tiam fovent, easque voce, lingua, scriptis defendunt, solent
 nonnunquam mori ut vixerunt, & ita in eo puniuntur, in quo

oils

F

deli-

deliquerunt. Malo cuidam Advocato cum laboraret in extremis, oblata ei est SS. Eucharistia : & dicebat ille : Judicaretur primo, an justum sit ut eam accipiam : cumque adstantes dicerent : *Nos hoc justum fore judicamus* : respondit : *Vos qui patris estis mihi judicare non potestis* : Lex enim dicit, *Par in parem non habet imperium* : & sic expiravit. In summa, qui aliis per injustitiam nocet, seipsum maxime laedit.

Th. XXII.

UT tandem concludam hanc disputationem : Jurisprudentia ars omnium liberalissima, non magis corrumpitur quam ab avaritia. Cur enim discitur? non ut a clientibus stipendi colligamus, non ut ex reorum sordibus splendorem quaramus, non ut vocem & fidem vendamus, aut quae alias & nefas confundens dictat avaritia, sed ut licitum ab illicito distinguamus, equi & iniqui limites subtili discrimine designemus, Reip. & singulis consulamus, quare indole sua quia in commune & alienum vergit bonum, non debemus honestae hujus matronae decus turpi quaestui prostituere, & quasi ex *Heleae* Scortum facere, quod fit, quando Jurisprudentia ad solum quaestum & divitias abigitur & eam ut vulgare opificium nobis ad subsidium paupertatis velut instrumentum divitiarum comparamus. Tunc pulcherrima Jurisprudentia sordidis foedatur ministeriis, nec fides integra manet, tibi magnitudo quaestuum speratur. Statera lingulam habet ad duas lances, sed semper lingula se ad ponderosorem inclinat lancem : ita iniquus Advocatus linguam habet & duas manus : est manus illa cui plus imposueris, trahit semper ad se linguam : haec damnifera est nisi fimbis argenteis ligeretur. Quidam Advocatus *bovem* accepit ab uno litigantium, ab alio

alio

alio equum: hic postea coram Iudice tacebat. Is qui bovem dederat, dixit: *bos loquere*: at respondebat ille, *non possum quia equus non permittit*: & sic neutri advocavit; Erat Iustitia, *ars equi & boni*; facta est *ars equi & bovis*. Vidua quaedam novam *bigam* dedit suo causidico: at pars adversa dedit *bovem*. Advocatus die iudicii instante primo egregie agebat pro parte viduae, at in fine contra eam directe conclusit: Ad quam vidua: *Domine, male vadit biga*. Respondet Causidicus, *Oportet omnino quod sic incedat, quia bos trahit eam*. Unus avaris Iudicibus oleum donaverat, alter porcum: dicebant Iudices porcum vas olei fregisse, & ita qui majus donum attulerat Jus favorabilius obtinebat. Vulgo dicitur, *ungendas esse manus Iudicum & Advocatorum*: hoc mysterium simplex quaedam foemina non intelligens, vas oleo plenum secum tulit, manusque inungere cepit: Advocatus mulieris simplicitatem, actionis tamen mysterium intelligens, *Satis nunc, inquit, unctio est, sed ad extergendas manus ulnis aliquot melioris panni mihi est opus*: quod cum illico mulier attulisset & paulo post quod intendebat obtinisset, ad vicinos reversa, *unctio est, ait, nulla vis sed deterfionis major est*. Demostheni, olim objectum, eum non *Synanchen* sed *argyranchen* pati. Dolendum profecto quod togae illa ornamenta propter avaritiam apud multos tam male audiant; propter pravariationes, quando in eadem causa pro utraque parte consulant: quando iusta causa requisiti defensionem deserunt, quando viduis & pauperibus aut aliis miserabilibus personis & omni humano praesidio destitutis opem ferre gratis recusant, quod tamen in multis Academicis gradum Doctoratus aut Licentiae suscepturi conceptis verbis jurare debent. Non videbit diem malum, qui dies bonos habere pauperem fecit. Hoc mo-

do patrimonium DEO creditur, quod nec Respublica eripit, nec Fiscus invadit, nec calumnia aliqua forensis evertit, quia tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode servatur. Salarium tamen honestum à valentibus solvere, ad probabilem quantitatem pro conditione causæ, pro Advocati facundia, non pro codicum vel foliorum scriptorum numero, quidem hoc aliud esset quam ultro incitare loquacitatem, recte accipiunt Advocati: quod Judex qui de causa cognovit potest definire. Rectius tamen esse statuit *Parthen. lib. 2. c. 7. n. 5.* & publicum malicia Advocatorum remedium, si in qualibet Curia vel Cancellaria numerus Advocatorum restringatur, iisque tunc Salarium ex publico constituitur Principis arbitrio, ad quod omnes litigaturi conferre deberent, utque adeo nihil acciperet ab ipso Cliente: consilium optimum: sic enim multorum nobilium, civium subditorum & rusticorum patrimonium non ita exurgerentur, ut hodie sit à togatis illis Vulturibus & Harpyis qui etsi in utramque aurem dormiunt, tamen opera eorum ex morâ & tempore aestimantur: & nisi hoc fieret, dicunt, *so möchte der Teuffel ein Advocat oder Jurist seyn. Aut. Disc. Vom Justicien Werck pag. 94.* Hæc de usu & abusu Juris in Curis & Cancellariis circa lites, circa temerarios litigantes & Justitia ministros dicta sufficiant, utinam pro definiendis litibus remedia opportuna possint inveniri! concludo cum *D. Augustino Serm. ad Iudices 35. O Iudices scientiam & Justitiam mundi amantes, attendite quid agatis, nam scientia mundi pleni estis & in ipsa moriemini: quæ est enim scientia mundi, nisi thesaurum congregare, luctum terrenum acquirere, decipere proximum, mentiri, jurare, justitiam caute pervertere & similia in cunctis agere: ista enim sapientia mundi est, in istis fere tota vita vestra consistit*

*sit & ideo attendite, qui iudicatis terram, quia dum, humana
curantur, aeterna perduntur gaudia. Proh dolor!*

*Improbilas tanti, probitas jam denique parvi
Penditur, ut probum, sit pene esse probum.*

Sed gaudeamus,

JESUS CHRISTUS Rex caeli & terrae, Dominus
mundi, magni consilii angelus, Redemptor noster,
Advocatus omnium bonorum est in caelis.

EI SIT LAVS ET GLORIA IN SEM-
PITERNA SECVLA.
AMEN.



COROLLARIA.

NOstra aetatis virorum magnorum, non quan-
ta veterum est aestimatio.

II.

Tyrannorum proprium est auricularios, speculato-
res & delatores alere.

III.

Princeps vividos suorum animos non debet depri-
mere.

IV.

Hominibus illustribus est peregrinandum.

F 3

V. Glo-

IIIX



Gloria bellica soli Principi cujus auspiciis parata, est
tribuenda. VI.

Illustres cum humilioribus matrimonia contrahe-
re non debent. VII.

Destinata sacris bona licitum aliquando in profa-
nos usus convertere. VIII.

Heroum filii noxæ.

Nescit regnare qui nescit dissimulare. X.

Sacerdotium cum officio politico rectè potest non-
nunquam sociari. XI.

Expedit ut belli Dux ipse præliis intersit. XII.

Nocturna prælia non probamus. XIII.

Honesta victoria est quæ paratur stratagemate. XIV.

Servitus in natura fundamentum habet. XV.

Non est vera Machiavelli sententia illa, quod me-
tui quam amari sit tutius. XVI.

Ex desperatione qui sunt pugnaces, non sunt dicendi
fortes. XVII.

⦿ (47) ⦿

XVII.

Prælium iniri clamare non est inconsultum.

XVIII.

Legatis non est licitum munera accipere.

XIX.

Pedites ut plurimum præstant in bello equitibus.

XX.

Fugere simpliciter non est inhonestum.

XXI.

Amuletis militaribus nulla vis contra vulnera inest.

XXII.

Comitatus muliebris in exercitu non ferendus.

XXIII.

Mendici in Rep. non sunt ferendi.

XXIV.

Famæ magnum in bello momentum.

XXV.

Homicidas numerata pecunia non debentur impu-
nes dimittere.

XXVI.

Ebrietas probrosa est.

XXVII.

Vtile est Reipublicæ, Juventutem assuehieri Gy-
mnastica.

XXVIII.

Consuetudo sepeliendi res pretiosas cum defunctis
non est probanda.

XXIX.

Plus sæpe in duce quam in exercitu est momenti.

XXX.

In bello *ad Marathonem* non est amplectenda.

XXXI.

Corporis curandi ars prius invenitur quam animi.

XXXII.

Medicum plures solent facere homines, quam moralem Philosophum.

XXXIII.

Advocatus, Medicus & Pharmacopola, pauperibus nisi gratis adsint reputantur pro homicidis.

XXXIV.

Advocatus Clienti suo injustè ad mortem condemnato fugam ex carcere suadere & auxilium ad eam præbere potest.

XXXV.


Malè Bodinus Imperatorem nostrum vocat Principem ranarum.

XXXVI.

Non est licitum Advocato in Clientis sui causa simulare. contra Pufend.







Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

21.
10.
ARNOLDI MAURITII
HOLTERMANNI,
I. V. D. CONSILIARII HASSIACI ET PAND. P. P. ORD.

DE
VARIO JURIS VSV
ET ABVSV IN CVRIS
ET CANCELLARIIS,

Rom

Gebrauch und Mißbrauch
der Rechten in Gangeleyen
und Rathhäusern.



EDITIO ALTERA.

JENÆ,
Impensis JOH. PHILIPPI HAASIL
MDCCXV.